



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput III. De Fine & Felicitate hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

De Fine & Felicitate hominis.

Finis est id, cuius gratiâ aliquid fit: fines particulares dantur plures, unus finis simpliciter ultimus, ad quem referri debent omnia. Hunc agnovit Arist. ipse 1. Eth. 2. Nisi enim daretur finis ultimus humanæ vitæ, appetitus humanus ab Auctore naturæ impressus, irritus esset & inanis, cum nunquam satiari, aut in ullo posset quiescere. Et utique homo humano modo operans non operatur, ut operetur, sed ut quiescat: non potest igitur procedi in infinitum, sed dari debet finis ultimus, in quo aliquando quiescamus. Et hic finis ultimus, unicus est, simul & vera hominis felicitas; est enim ille, in quo quiescit homo, & qui plenè satiat appetitum: ergo talis finis hominem reddit felicem; non potest autem esse duplex totaliter, quia neuter esset, ad quem referuntur omnia, neuter esset summum, & plenum appetentis bonum; uno enim obtento, alter esset appetibilis: ergo in neutro plenè quiesceret, & satiaretur appetitus.

Hæc porro felicitas hominis non potest consistere in ullo bono creato: potest enim hominum animus bonis creatis occupari, satiari non potest. Id patet tum ab experientia, tum ex Script. ubi Salomon testatur, se nihil voluntati suæ denegasse ex his omnibus, quæ desiderare poterat, & in omnibus reperisse vanitatem vanitatum, & afflictionem animi: quæ doctrina, quia magni est momenti, ulterius per partes contra varios, præposterè felicitatem quærentes, probanda est.

Primò enim felicitas hominis non potest consistere in divitiis, ut existimant Avari. Nam divitiæ vel sunt artificiales, ut denarii, vel naturales, ut frumentum, vinum. Primæ sunt propter secundas; secundæ autem propter vitæ sustentationem: ergo non sunt finis ultimus, sed tantum media ad finem, Conf. 1. quia bonum hominis consistit potius in retinendo beatitudinem, quam ipsam emittendo; divitiæ autem magis profunt effusæ, quam coacervatæ. 2. Pecunias consequitur cura servandi, sitis augendi, timor amittendi: deinde sunt scelerum irritamenta, litium incentiva &c. 3. Quid profunt divitiæ, si absit sanitas, & alia, sine quibus frui divitiis non possumus?

2. Felicitas hominis non consistit in honoribus, ut volunt Ambitiosi. Nam 1. felicitas debet esse in eo, qui felix est, tanquam bonum ipsi intrinsicum; atqui honor est in honorante, & respectu honorati est tantum denominatio extrinseca. 2. Felicitas est bonorum excellentissimum: ergo cum honor sit duntaxat testimonium excellentiæ, hanc non facit, sed supponit. 3. Felicitas est bonum stabile; talis non est honor, cum pendeat ex opinione hominum, unde Sap. 2. umbræ transeuntis comparatur. Ex eadem ratione non consistit in gloria & fama, quæ vel instabilis est, vel nos non facit bonos, sed supponit; imò si falsa est, nos confundit.

3. Nec consistit in potestate, ut autumant quidam Politici. 1. enim felicitas debet esse sine solitudine & metu; utrumque inducit potestas. 2. Potestas conceditur, ut aliorum felicitas procuretur: ergo est tantum medium ad felicitatem. 3. Potestas indifferens est ad bonum vel malum, ut patet in bonis & malis Principibus: ergo non constituit felicitatem. Deinde si Princeps potestate abutitur, est ei causa ruinæ: si bene utitur, est labor & onus.

4. Fe-

4. Felicitas hominis non consistit in voluptatibus corporis, ut frustra exoptant Libertini, & ii, quorum Deus venter est, ut ait Apostolus; potiusque error hic defendendus est, quam impugnandus. Quomodo enim potest homo per hoc esse felix, de quo naturaliter erubescit? quomodo homo ad imaginem Dei effectus potest habere felicitatem brutis communem, & pasci filiquis porcorum? Nonne pars nobilior est appetitus rationalis, quem certè non sariat foeda voluptas sensitiva, imò nec sariat corpus, sed potius destruit & corrumpit, ut satis experiuntur illi, qui vel se se ingurgitant, vel in omnem libidinem effundunt ut merito illis exprobrari possit illud Apostoli: *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?*

5. Quamvis virtus ad felicitatem pertineat, in ea tamen non consistit perfecta hominis felicitas, ut verisimilius Prioribus existimabant Stoici, 1. Quia via distinguitur à termino; Virtus autem est ad felicitatem via, 2. Felicitas est præmium virtutis; ergo non est ipsa virtus, 3. Virtus non sariat appetitum hominis, sed eum solum rectificat; unde homo etiam perfecta virtute præditus ad ulteriora bona suspirat; ergo non reddit hominem perfectè felicem, nec id efficit aliquid quidquam creatum, ut ex dictis sufficienter patet.

Dicendum ergo, solum Deum esse finem ultimum, & felicitatem hominis perfectam. Ille enim est *Alpha & Omega, principium & finis*, Apoc. 1. *Ille universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Prov. 16. Ratio est, quia creatura non potest habere alium finem verum & ultimum, quam illum, quem intendit, & creaturæ præfixit Deus, dum illam ex nihilo creavit, quæ uti ex se ipsa impotens est existere, ita nec in illius potestate est, sibi finem, cur existat, præfigere, nec sufficiens est, suam sibi felicitatem procurare; atqui Deus in rerum creatione & ordinatione semetipsum proposuit finem ultimum, ad quem referantur omnia, & in quo denique quiescat creatura rationalis: nam summum Agens non potest in actionibus suis non habere propositum sibi finem summum; sed Deus est summum agens; ergo propositum sibi habet finem summum; tale autem non est nisi ipse Deus. Et hic finis perfectè etiam sariat creaturam rationalem; hinc David; *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Et benè, cum enim in Deo sit omne verum, & omne bonum, nihil aliud appetendum restat ulterius creaturæ intellectuali & volitivæ. Unde rectè S. Aug. *Fecisti nos Domine ad Te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in Te*.

Et hæc dicitur beatitudo objectiva, cujus perfecta fruitio dicitur beatitudo formalis: & ista consistit in visione & amore summi boni; sic enim Deo perfectè coniungimur, quatenus per cognitionem Deum ut summum verum, per amorem ut summum bonum possidemus. *Neque enim, ut pulchrè ait S. Aug. Ille dici potest beatus, qui non habet, quod amat, qualecunque sit, neque qui non amat, quod habet, etsi optimum sit; nam qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur; & qui non appetit, quod appetendum est, aegrotat*. Ex hac porro visione, & amore æternum duraturis (hæc enim certitudo ad plenam beatitudinem requiritur) oritur summum gaudium, quod per omnes animi, corporisque potentias se mirum in modum diffundit. Et quidem hæc Visio Dei beatifica in hoc statu elevationis erit intuitiva: *Videbimus enim Deum facie ad faciem; nunc autem tantum ut in speculo vel enigmate*. Alia fuisset, si Deus nos condidisset in statu naturæ puræ, uti potuisset facere, ut constat ex constitutionibus summorum Pontificum Pii V. Greg. XIII. Urbani VIII.

Ad hanc felicitatem tendere debet omnis homo, quin & suo modo jam in via potest esse felix, si per hanc ad veram & unicam felicitatem viam constan-

ter pergat, quod in cujuslibet hominis est potestate, cum Deus & natura non desint in necessariis. Hinc præclare Horatius: *Navibus atque quadrigis petimus bene vivere; quod petis, hic est, est Ulubris, animus si te non deficit equus.* Ulubras memorat ignobilem Italiae vicum, ut doceat, nullum locum, nullamve conditionem excludere à vita bene ac feliciter ducenda. Per hoc autem ad felicitatem pergit, & jam quantum patitur mortalis conditio felix est homo, si Deo bonorum omnium fonti adhaereat, suoque principio jungatur, quod fit, si intellectus eum sibi proponat præsentem, & de eo rectè sentiat; voluntas verò illum amore complectatur, velitque, ac imperet aliis potentiis eum humanarum actionum cursum, quem intelligit eidem esse gratissimum: Omnis alia vita misera est & inquieta.

CAPUT IV.

Principia moralitatis intrinseca.

§. I.

De Voluntario.

Cum ex dictis actus humani sint illi, qui ex deliberata voluntate procedunt, clarum est, duo esse moralitatis principia, nempe voluntarium & liberum. Voluntarium ex Arist. 3. Eth. 1. est, *Cujus principium est in agente, cognoscente singula, in quibus actio consistit.* Hinc involuntarium dupliciter. 1. Involuntarium ex violentia, quod dicitur coactum, ad quod per vim extrinsecus immisfam cogimur. 2. Ex ignorantia, quod nempe ex ignorantia facimus. Unde infantes & bruta sponte quidem agunt, non tamen propriè & perfectè voluntariè, cum iis desit perfectà eorum cognitio, quæ ad actionem pertinent.

Aliud porrò voluntarium est immediatè & formaliter, ut sunt ipsi actus voluntatis: aliud denominativè, uti sunt actus à voluntate imperati, qualis est scriptio, sessio. Aliud voluntarium, quod directè volitum: aliud indirectè, quod non impeditum, cum quis potuisset, ac debuisset impedire. Aliud voluntarium in se, aliud in causa, ut cum quis voluntariè inebriatur prævidens, tales & tales effectus exinde secuturos &c.

Colliges, vim, quæ inferitur, esse physicam vel moralem: physica non potest cadere in actus à voluntate immediatè elicitos, nec enim voluntas cogi potest, aut velle invita; sed tantum habet locum in actibus extrinsecis & imperatis, qui omnino cogi possunt. Sic terrores & supplicia vim duntaxat moralem, non absolutam Martyribus inferebant; poterant equidem cogi physicè ad actus externos, non tamen ad internum voluntatis actum.

Colliges 2. Concupiscentiam non causare involuntarium, quia, quod fit ex ea, est ab intrinseco cum cognitione actionis & finis.

Colliges 3. Neque metum causare involuntarium, quia metus vel est juxta inclinationem appetitus innati, ut cum quis operatur ex metu transgrediendi legem, quam approbat, ut naturæ rationali conformem; & quæ ex hoc metu procedunt, sunt simpliciter voluntaria, quia juxta inclinationem humanæ naturæ. Vel metus est contra inclinationem appetitus innati, ut cum mercator